



CORN. TACITVS *in vita Iulij Agricola.*

CLARORVM virorum facta morés-
que posteris tradere antiquitus vsi-
tatum, ne nostris quidem temporibus
quamquam incuriosa suorum ætas omi-
sit, quoties magna aliqua ac nobilis vir-
tus vicit ac supergressa est vitium paruis
magnisque ciuitatibus commune, igno-
rantiam recti & inuidiam. Sed apud prio-
res vt agere memoratu digna prouum,
magisque in aperto erat: ita celeberrimus
quisque ingenio, ad prædendam vir-
tutis memoriam sine gratia aut ambitione,
bonæ tamen conscientie pretio du-
cebatur. Ac plerique suam ipsi vitam
narrare, fiduciam potius morum, quam
arrogantiam arbitrati sunt: nec id Rutilio
& Scauro citra fidem, aut obreætationi
fuit. Adeo virtutes iisdem temporibus
optimè æstimantur, quibus facillimè gi-
gnuntur.

